

an 7

DN. HENRICO

SCRUTINIUM
VERITATIS,

PRÆMISSUM LECTIIONIBUS
ÆSTIVIS

GYMNASII
MVLHVSINI,

à
M. ANDREA CRAMERO
SUPERINT.

MULHUSI,

Ex Officina Typographica JOHANN. STANGL,

ANNO M. DC. XXXIII.



ADMODUM-REVERENDO, PRÆCLARISS.
ET EXCELLENTISSIMO,

DN. HENRICO

HOPFNERO, SS. Theologiæ Doctori, & Profess. Publ.
in incluta Academia LIPSICA, &c.

*Dn. Fautori & Fratri in Christo dilectissimo, plurimum
honorando,*

Gratiam & pacem à Christo Salvatore
apprecor,

M. ANDREAS CRAMERUS Superintend.
Mulhus.

Hopfnerè Fautor Maxime, *prenso, meamq; perlubens
Fraterq; dilectissime,* declaro gratitudinem
desideravi sepiùs hoc veritatis ludicro
Occasionem commodam, exercitamento, in Schola
Ut gratitudinis notam nostræ instituto Gymnade.
nutumq; promere ex mei Agnosce quaso pectoris
possim favissa pectoris, mei intimum sensum, & fave,
pro charitate, pro bene- scitoq; Cramerum sine
factis abundè prestuie, fallacie fuco tibi
post Magdeburgæ nobilis addictam amore candido.
cladem mihi superstiti. Sic jam Vale, & lubens fave.
Dñ cōmoda hauc datur mihi Hopfnerè Fautor Maxime,
occasio, ergo incommodam Fraterq; dilectissime.

SCRUTINIUM VERITATIS.

THESIS I.

DE Veritate ex certo suo fundamento aestimanda acturi, praemittimus differentiam, quae constituitur inter Veritatem Logicam & Ethicam.

2. Veritas Ethica Mendacio, Logica Falso opponitur.
3. Veritas Ethica est, quando cum sensu mentis sermo oris concordat: Mendacium contra, quando à sensu mentis oratio declinat, ut aliud ore loquaris, aliud mente regas.
4. Veritas Logica est, quando mentis notio cum re ipsa congruit; Falsum contra, quando notio rem ipsam non representat, sed aliter quam in sese est pingit.
5. Hinc qui falsum dicit, cum quod falsum est, verum ex errore putat, non dicit Mendacium. Quia oratio cum sensu mentis congruit, licet cum re non congruat.
6. Sic ergò Veritas Ethica fundatur in mentis & sermonis congruentia: Veritas Logica in mentalis notionis & rei objecta conformitate.
7. Rectè ergò P. Ramus in Logica, Verum (ait) axioma est, quod pronunciat, uti res est. Uti ergò res in natura subsistit, ita notione mentis pingenda, & sermone exprimenda fuerit, ut verum comprehendatur & enunciatur.
8. Comprobat hoc acutiss. Scaliger de Cam. L. L. Cap. 142. Ubi monet, quod quae natura conjunxit in rebus, ea & nos per artem conjungere, & quae disjunct, eadem nos itidem dividere per artem teneamus, ut veritati appropinquemus.

9. Hinc natum est axioma vulgatum: Objectum mensurat intellectum; Notio quippe mentis de re concepta, ex Objecto elicitur, & consequenter in sermonem transfunditur: atq; sic veritas tum notione mentis concipitur, tum sermone oris enunciatur.

10. Quia verò in profundo quasi puteo demersa sapius veritas latet, ideò multa hic cautione opus est. Experientia in rebus singularibus observationes colligit, unde ratio universale axioma constituit pro veritate detegenda. Sic fuit, qui experimento didicit, Rutam pellere venenum; fuit, qui experimento didicit, malum Citreum contra morsus aspidum valere: Ex hoc experimento sapius repetito Ratio adhibita inductione Universale constituit axioma: Rutam & Citreum malum utiliter contra venenum adhiberi posse. Sic in alijs itidem rebus veritas fuit inquisita, & in liberales disciplinas transfusa; Unde earundem duo principia jaectantur, ἐμπειρία & λόγος, ἐμπειρία à singularibus initium sumit, unde λόγος ad universalem notionem adsurgit: Ubi tamen notandum, quod Scaliger uspiam monet, periculosum esse ex paucis singularibus Universale constituisse.

11. Sed mitto ἐμπειρίαν & λόγον, hoc addo: Provec̄tam esse huc usq; in vestiganda rerum veritate sollicitam hominum curam, ut discipere cœperint de quadam vel face vel norma, qua feliciter uti possint, ad intellectuales conceptus rebus in natura obvijs æquandos. Quod si sit, veritas obtinetur, ex th. 4. & 7. Qua ergò ratione talis norma constitui potuerit, inquirendum.

12. Metaphysici rectè dicunt, id in rebus esse verum, quod congruit cum intellectu & idea Creantis.

13. Ergò in rerum creatarum veritate apprehendenda ita procedendum, ut ex Creatoris ordinatione & nutu introducta rerum naturalium naturalis constitutio & dispositio, coherentia & discrepantia perspiciatur, & intellectuali conceptu depingatur, Sic veritas rectè exprimitur.

14. Rerum

14. Rerum quidem in natura obviarum maxima varietas & u-
bertas est, sed quia ex Creatoris lege & sanctione cuncta ad communem
quandam naturae similitudinem adspirant, ex dicta rerum natura-
lium varietate & Ubertate, diligenti inquisitione communis que-
dam habitudo observata est, quae non parum lucis ad veritatis esti-
mationem affert: Ut quod singulis rebus sua est quadam essentia, sua
accidentia, variaque adjuncta communia, propria, quod ex suis quibus-
dam oriuntur causis, quod suam itidem habent euegetas quadam ad
aliud efficiendum: quod generum & specierum ordine coherent,
quod membrorum concursus integrum constituit, quod quadam ami-
co consensu & coherentia conspirant, quadam dissensione & dissidio
distrahuntur, & si qui sunt alij respectus & habitudines.

15. Haec omnia ut in rerum naturalium visceribus haerent, sic ex
Creationis jure dependent, Ubi Jehovah omnia in pondere mensura &
numero condidit, & mutua quadam affectione res naturales erga se
invicem devinxit, atque hac ratione certa lege in sex primis mundi die-
bus, naturalem rerum naturalium ordinem & constitutionem intro-
duxit, & naturae Statum & Cursum ordinarium ad rerum generatio-
nem, corruptionem, conservationem, alterationem & quemvis alium
actum &c. sancivit & approbavit.

16. Ex dicta naturali rerum naturalium constitutione & dispo-
sitione à DEO Creationis jure ordinata & approbata, mutua rerum af-
fectio & habitudo communis diligenti observatione extracta & colle-
cta, aliquam veritati facem praefert, & normam quandam constituit
in suo ordine. Etenim naturalis constitutio & dispositio Creaturae
intimius estimata, respectum potentiae ad suum actum, & actus ad
suam potentiam suppeditat & demonstrat. Non qualibet Causa quem-
libet producit effectum, nec quilibet effectus à quavis proficiscitur
causa. Mutua hic Potentiae & Actus habitudo & aptitudo requiri-
tur. Similiter adjuncti ad suum subiectum, subiecti ad suum adjun-
ctum certa datur Potentiae & Actus proportio & cognatio. Similiter

Occupatum non exerit vires, nisi in Objectum proportionatum. Sic partium inter se conspiratio ad integrum, Sic generum & specierum certa habitudo ex potentia inclinatione ad actum per differentiam constituendum &c. Sic contrariorum contraria est potentia, contrarius actus. Omnia haec uti diximus, in sex primis diebus à DEO ordinata vi Creationis & approbationis divinae: Atq; hic dicitur natura ordo, Natura Lex, Natura Status & cursus ordinarius.

17. Postquam ergò diligenti inquisitione & perscrutatione naturae, & aestimatione naturalis rerum naturalium constitutionis dictae communis habitudo & affectio mutua rerum observata est, norma quadam veritatis exinde extructa & tum in Logicam, tum in Metaphysicam disciplinam traducta fuit, ut intellectuales rerum conceptibus objecto aequandis & veritati obtinende inserviret.

18. Aristotelici Logicam veritatis eruendae instrumentum constituunt, ita quidem, ut Veritatem Logicae finem ultimum praefigant, ad quem comparetur Syllogismus cum praevijs terminis simplicibus predicabilium & predicamentorum &c.

19. Ramaei quidem Veritatem propriam & adequatam Logicae finem esse negant: Interim uti de omni proposita materia ex Logica differere docent, sic iidem ad veritatis aestimationem, in Logica suo quodq; loco dirigunt, nempe simplicium argumentorum affectionem variam & distinctam primo statui loco, ut exinde cognationum inter rebus gradus, hoc est, rerum affectiones & habilitates mutuae perspiciantur; Unde deinceps in axiomatice dispositione pro sua cognatione vel differentia ad naturae imitationem intellectuales rerum conceptus componi & dividi possunt ad veritatem exprimendam & enunciamdam.

20. Hoc ipsum Ramus monuit in doctrina axiomatice, ubi consentanea affirmando, dissentanea negamus disponi & connecti adserit.

Ratio

Ratio in promptu est. Quia uti in rebus extra mentem occurrit cognatio & propinquitas, per quam sibi invicem coherent, sic itidem datur differentia & distantia, per quam res ipsa extra mentem in natura à se invicem segregantur & dissident, ut non cohereant, sed distrahantur & separentur. Hec ergò (1.) cognatio & coherentiarum Consensionem, (2.) differentia & distantia dissensionem importat, quae utraq; si tum affirmatione tum negatione in axioma exprimitur, Veritas enunciatur, ex rerum ipsarum habitu dine expressa.

21. Dr. Philippus Melanchthon praedicabilia in sua Logica hoc sine docet, ut inde pateat rerum cognatio & differentia, omnisq; ad futuram praedicationem habitas. Nam expresse dicit de praedicabilibus, quod sint tituli & indices communium & angustarum Vocum, ostendentes, quae quomodo alijs rectè attribuuntur; quod ostendant & discernant cognationes & gradus in serie cujusq; praedicationi; quod complectantur modos, quibus congruere debeant praedicationes secundum communem naturae ordinem; quod prosint ad connexiones vocum, ad videndum quae quibus rectè jungantur.

22. Sic ergò dicta simplicium terminorum consideratio ad veritatem in axiomatica dispositione comprehendendam & enunciamdam dirigitur, perinde ut singularum vocum affectiones in Etymologia explicatae (Genus, Numerus, Persona, &c.) fundamentum praebent legitime vocum constructioni in Syntaxi attendenda. Quippe in explicata simplicium terminorum habitate ostenduntur certi cognationum & differentiarum gradus, secundum quos ut res ipse inter se coherent in natura, sic itidem in notione mentis, Logicae beneficio dispositionis vel jungi vel distrahi debent ad veritatem consecutandam.

Metaphy.

23. *Metaphysica* Ens cum suis generalissimis affectionibus & modis explicans non parum adjuventi conferre censetur ad intellectuales conceptus rebus ipsis adequandos, ut quae diversa & distincta sunt, diversa & distincta; quae affinia & cognata sunt, affinia & cognata cognoscantur, adeoque veritati consuetandae & enunciandae viam praemuntiant & faciem quasi praeferant.

24. Notum hinc axioma vulgatum: Modus praedicandi (in Logica) sequitur modum essendi, (in Metaphysica) Qualis enim est ratio essendi in rebus extra mentem positis, talis in mente notionum connexio & praedicatio requiritur, ut conformitas rei & notionis exoriat, in qua veritas consistit, ut saepius dictum.

25. Sive ergo Logica sive Metaphysica communes rerum affectiones simpliciumque terminorum habitudines explicet, certum est veritati hac ratione inserviri enunciandae.

26. Exempli gratia Homo & Animal Generis & Speciei affinitate coherent in natura, qui nexus essentialis est. Ergo in mentis notatione utidem praedicatione essentiali junguntur, quando dico: Homo est Animal. Contra homo & eruditio subjecti & adjuncti affinitate ita coherent, ut adjunctum per naturam possit adesse vel abesse. Ergo accidentarius est nexus, qui praedicationem dat accidentalem, quando dico: Homo est doctus. Sic Petrus & To scribere Causa & effecti cognationem habent: Sed quia To scribere ex deliberato procedit consilio, non dat necessarium & essentialem nexum, sed accidentalem praedicationem causatur, Petrus scribit. Sic ignis & To urere sub cause & effecti notatione comprehenduntur, sed ita ut cura deliberationem solius naturae impetus hic elucescat, qui cum deliberationem non admittat, actionem suam naturam suspendere nequit. Hinc fit, ut ignis non urere non possit ustibilem materiam oppositam. Ergo est necessaria veritas, si dico; Ignis Urit.

27. Sic ergo ex Essendi modis Metaphysicis sive argumentorum habilitatibus Logicis fundamentum & norma veritatis in rebus naturalibus

turalibus obvio proceditur, quæ in rationis cursu & discursu Logico probe & recte usurpanda.

28. Notandum verò omnes istos sive modos essendi Metaphysicos, sive affectiones argumentorum Logicas non aliunde erutas & observatas esse, quam ex naturali naturalium rerum constitutione & dispositione, ordinarioq; naturæ cursu: Neq; n. aliud hic statuere permittunt generalia artium principia ἐπιτεγία & λόγῳ & ex inductione singularium in natura obviatorum ad universale adscendens.

29. Hinc fluit consecrarium, dictos illos vel modos rerum Metaphysicos, vel affectiones argumentorum Logicas ex natura dispositione & constitutione naturali petitas, suam tueri constantiam & universalitatem in natura seu rebus naturalibus ad naturæ ordinem & legem constitutis & dispositis ex jure Creationis.

30. Quod si verò Jehovah pro peculiari suo beneplacito & singulari οἰκονομία naturalem naturalium rerum ordinem posthabeat & seponat, & pro suo arbitratu res creatas aliter, quam Creationis jus & divinaus inclinât & permittit, moveat, inhibeat, intendat, remittat, vel quovis modo usurpet præter, extra, contra naturæ ordinem, usitatum, hic certe norma ex naturæ lege & cursu exstructa, seponenda fuerit in veritatis aestimatione.

31. Exempli gratia, ἐπιτεγία observavit Solem continuo moveri, ut 24. horarum spacio ab ortu ad occasum, indeq; reciproce ad ortus sui punctum recurrat & nunquam quiescat. λόγῳ & inductione adhibita universale theorema inde exstruit, atq; ex conditione cause solius naturæ impetu citra deliberationem agentis, perinde de solis cursu judicat, atq; de ignis ustione 1b. 26. Nempe naturalem hanc esse δυναμιν, quæ actum suum inhibere & retrahere nunquam possit: Posito sole necessario ejusdem cursum esse concedendum: Posito igni necessario se qui ustionem. Sic aestimat & judicat veritatis norma ex ordinaria natura lege & usitata rerum naturalium dispositione deducta & fabrefacta.

32. Jam verò si ex scriptura audis, Tempore Josue ad ejusdem
num in precibus ad Deum directis, in medio Cæli Solem substiisse,
neq; festinasse ad occasum quasi diem integrum Jos. 10, 13. Si audis,
tempore Hiskia ad dictum Esaie retrocessisse Solem ad decem gradus
Solarij, ut dies qui duodenas continebat horas, viginti duarum effectus
sit, 2 Reg. 20, 10. 11. quod etiam à Chaldeis observatum 2 Chron. 32, 31.
Si audis, tempore Danielis ignem non exussisse tres pueros, in arden-
tem fornacem coniectos, imò ne pilum quidem capitis lesisse Dan. 3,
26. 27. Hic certe Norma Veritatis Logica & Metaphysica contra ve-
ritatem miraculi divinitus patefacti non urgenda, sed seponenda fue-
rit, ut patefactioni divine sua constet veritas secundum peculiarem
DEI διονομίαν.

33. Sic de Luna Solisq; cursu in perpetua observavit, si sub Ecliptica
conjugantur, fieri Luna; si opponantur, fieri solis Eclipsin. Hinc
λόγῳ & inductione adhibita universale theorema constituit, & ex ad-
æquata propriæq; causæ conditione Eclipsin luminarium ita æstimat,
ut aliter fieri nõ possit, in Sole, nisi in ejusdem cū Luna conjunctione
tali, quæ diametralem Luna interventum inter solem & nostrum vi-
sum causetur, & hoc ipso interven- tu solis lumen à nostro prohibeat
visu: In Luna, nisi in ejusdem contra Solem oppositione tali, quæ
diametralem terræ interventum inter Solem & Lunam causetur, &
hoc ipso interven- tu terræ, Solis lumen intercipiatur, ne in Luna fa-
ciem deferatur.

34. Quod si verò legimus, tempore Passionis Christi in plenilunio
Solem esse obscuratum, ubi Luna Soli non subjecta, sed opposita fuit,
hic sane norma veritatis ex naturæ ordine & lege exstructa, sepo-
nenda fuerit, ut miraculum suam tueri possit veritatem ab Eclipsis
ordinariæ & usitatæ veritate plane alienam.

35. Idem judicium est de ferro ex insita nativa gravitate deor-
sum

sum vergente. quod tamen ad jussum Elise Prophete sursum ex fundo Jordanis ascendit, & in superficie aquae natavit 2. Reg. 6, 6. Idem Judicium de Sara, qua in juventute sua sterilis, in senectute efficta fecunda fuit Gen. 16. & 18. Idem Judicium de reliquis miraculis ex naturae potentia nequaquam dependentibus.

36. Hinc Wesselus à Luthero Anno 1520. editus in Tractatu de Providentia DEI recte dixit, Naturam nihil aliud esse, quam Voluntatem DEI, regulariter volentem, & Miraculum opus Divinae Voluntatis non regulariter volentis. Uti igitur irregulare non est conforme regulari, sic regularis norma ad irregulare non quadrat.

37. Progredior ad Fidei profunda Mystera salutis hominis destinata & in scriptura patefacta, quae si ad normam Veritatis vel Logicam vel Metaphysicam ex natura exstructam revocentur & comparentur, ab eadem longissime remota planeq; dissona deprehendentur, quod in exemplis manifestum erit.

38. Ex Mystero Evangelico salutis nostrae audio de incarnatione filij DEI: DEUS homo factus est: Filius hominis est Filius DEI vivi. Hic si norma Logica & Metaphysica applicetur, Mystery veritas periclitatur. Homo & DEUS sunt duae disparatae species, uti Homo & Asinus; imò longè remotius à se invicem disparatae, quam Homo & Asinus. Non ergò uti membra, placida naturae suae inclinatione habilitate & conspiratione ad unius integri constitutionem concurrere possunt. Qualis hic est potentia vel in homine vel in DEO ad actum integrationis seu unionis eliciendum? Qualis dari potest vel in homine vel in Asino potentia inclinativa, ut ex duplici illa disparatae specie unum consiat compositum? Hic sane ratio resilit, quando normam suam ex naturae ordine & lege exstructam ad Mystery applicat. Absurdum & impossibile id statuit, quod in Mystero videt patefactum.

39. Sic quando *Mysterium Evangelicum* dicit, *Mariam Virginem* peperisse infantem illum, qui *DEUS & Homo* est in una *Persona*; quid queso *Norma* ex natura exstructa hic statuet? *Ortus hominis* ex natura lege talis est, ut nullus infans, nisi ex *Viri & fœminæ* conjunctione carnali generetur. Sic ergò *Logica norma* procedit. *Generatio infantis* est effectum, cuius causa adequata & propria est *Viri & fœminæ* conjunctio carnalis. Ubi ergò non datur *Viri & fœminæ* conjunctio carnalis, ibi nullus infans generatur. Atqui in pura *Virgine* talis conjunctio non datur. Ergò ex pura *Virgine* non generatur infans. Falsum ergò fuerit, quod *Virgo Maria* Mater infantis asseritur. Hæc demonstratio ex natura norma & lege firmissima est. Nam omnis actus præsupponit potentiam. Ubi non datur potentia non sequitur actus. Effectum non datur, nisi præsupposita in actu sua causa sufficiente & totali, quæ ubi non habetur, effectus sequi nequit. Sic demonstratio ex natura principio procedit, quæ hic in *Mysterio* fallax & deceptoria est. Conclusio est falsa: Minor Vera: Ergò in majore est principium erroris in Conclusionem derivati.

46. Sic quando ex *Mysterio Evangelico* audio insontem & sanctum à *DEO* plecti pro reo peccatore impune dimisso, quid hic statuet norma ex natura fundamento expressa? *Politica constitutiones* ἐπιπέγια καὶ νόμοι præcunte docent, delictum esse causam promerentem pœnas. Ubi ergò non est delictum, ibi pœna non habet locum. Sed in sancto & innocente non est delictum. Ergò pœna ibi non habet locum. Ex *Ethicis fundamentis* solidè constructis patet, *Justitia* proprium effectum esse, suum cuiq; tribuere. Ergò qui deliquit, pœna afficiendus erit; qui insons est & innocens, vacare pœna debet. Ergò qui justus est, non potest insontem plectere pro reo. *DEUS* est iustus. Ergò non potest insontem plectere pro reo. Hac ratione evertitur *Mysterium Evangelij* de *Christo innocente* pro peccatoribus tradito. Ergò ut *Mysterio* sua constet veritas, *Natura lex & norma* hic seponenda fuerit.

41. Idem

41. Idem patet in Mystero Cæne, ubi de presentia Corporis & Sanguinis disquiritur ex naturali naturali corporis conditione & lege. &c.

42. Ex ijs ergò, quæ dicta sunt, luculenter patet, Natura legem & normam contra mysteriorum divinorum conditionem in salutis Oeconomia occurrentium, non esse rigorosè urgendam, sed modestè sejungendam. Cum enim Mysticarum rerum longè alia sit constitutio & dispositio, quam quæ est rerum naturalium in ordinario naturæ Statu & Cursu (uti vidimus) non potest neq; debet ad eam revocari normam, quæ uti ex naturali rerum naturalium constitutione & dispositione depromta est, sic nihil aliud, quàm ordinarium naturæ Cursum & Statum representat: Hoc fundamentum intimius est pervestigandum & introspicendum.

43. Veritas rerum naturalium fundatur in Creationis jure & lege, indeq; dependente naturali naturalium rerum constitutione & dispositione, quam dum ratio nativa sua capacitate & luce vestigat, normam exinde Logicam & Metaphysicam, (ut superius vidimus) procudit, qua in veritatis aestimatione feliciter uti, & res in natura obvias ad eandem accommodare & censere potest. Sed mysticarum rerum longè alia est ratio.

44. Nam Mystica Veritas non dependet ex Creationis lege & sanctione, sed consistit in peculiari DEI Oeconomía ad salutem hominis in Christo factá, cujus fundamentum est *Κόσμος* DEI, quam proposuit in sese Eph. 1, 9. *κρίσις* DEI, quam fecit in Christo Jesu Eph. 3, 11. *ἡ χάρις* DEI, *ἐν χάριτι* in Christo Eph. 2, 7. Hæc ergo *Κόσμος*, *κρίσις*, *χάρις* dant Mysteriorum *σοφίαν* *αἰώνιον* *σεσχηµένον* Rom. 16, 25. Dant Sapientiam non seculi hujus, neq; principum hujus seculi, sed sapientiam DEI in Mystero absconditam, quam præordinavit Deus ante secula ad gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit 1. Cor. 2, 6. 7. Talem dant sapientiam DEI absconditam, quæ si reveletur, *ὡς* *καὶ* *δι-*

διὰ τῶν αἰθρωπίνων σοφίας λόγους, ἀλλ' ἐν διδασκτικῇ πνεύματος ἀγίου
fundata, proponitur 1. Corinth. 2, 13. Hic nervus rectè enucle-
tur & perpendatur.

(1.) Sapientia humana quæ dicitur hujus seculi, à sapientia DEI
contradistinguitur, ita ut Sapientia DEI Principibus hujus seculi,
hoc est, excellentissimis ingenijs derogetur, contra humana sapientia
concedatur. 1. Corinth. 2, 6. 7. 8.

(2.) Jam si scire desideramus, quæ sit Sapientia humana,
eruditio seculi ingenijs adsignata, non opus est, ut divinemus; res in-
propatulo est. Mens hominis naturali inclinatione ad intelligentiam
rerum verandam propendet. Ergò in natura, quæ occurrebant,
ratio hominis vestigavit & observavit, & varias disciplinas Physi-
cas, Ethicas, Politicas, Astronomicas &c. constituit. Hæc est hu-
mana hujus seculi Sapientia.

(3.) Habet verò jam dicta & indigitata humana sapientia
suos διδασκτικῶν λόγους, hoc est, rationes & modos ex naturali rerum
naturalium dispositione & constitutione observatos & collectos, qui-
bus dum intellectuales mentis conceptus rebus ipsis adequantur,
veritas rite exprimitur & in disciplinas liberales derivatur, atque
sic humana sapientia proceditur. Unde patet, quinam sint διδασκτικῆ
humana sapientia λόγους, nempe rationes & modi, veritatem huma-
na sapientia dirigentes, captivæque rationis naturalis conformes.

(4.) Ab hisce λόγους humana sapientia ita contradistinguitur
λόγους Spiritus, ut sapientia DEI Mystica in λόγους διδασκτικῆς Spiritus
fundata, cōprehensa, proponatur, contra humana Sapientia διδασκτικῆς
λόγους dissona minimequæ congrua adferatur. Hinc non Spiritus
Mundi, hoc est, lux rationis toti mundo concessa, sed Spiritus ex
DEO requiritur, ut in oblata DEI sapientia perspiciamus & obser-
vemus, τὸ ὑπὸ θεοῦ χαρισθέντα ἡμῖν 1. Corinth. 2, 12. Ephes. 1, 17. 18.
Animalis Homo (ψυχὴ αἰθρωπῆ) anima viribus sufficienter
instrua-

instructus) non capit ea, quae sunt Spiritus DEI. Sunt enim ea stultitia, nec potest ea cognoscere: quia spiritualiter dijudicantur 1. Corinth. 2, 14. Sic ergo aversa est ratio humana à mysticarum rerum veritate, ut neque capiat, neque capere possit: Et aētus & potentia hic adimitur rationi, ut nulla capacitas supersit; Contra mera adscribitur ἀδυναμία, & quidem talis ἀδυναμία, quae hostilem includit reluctantiā, & inimicitiam contra τὸ πνευματικόν, ita ut homo animalis DEI summam & abstrusam sapientiam, quae aeternam nostram gloriam promovere satagit, pro stultitia habeat; neque aliter ex natura viribus possit. Hinc ratio dicitur inimica DEI, Coloss. 1, 21.

(5.) Ut autem Mysticam mysticarum rerum Veritatem intelligere & percipere possit, regeneratione Spiritus opus est, qua ratio illuminetur Ephes. 1, 17. 18. Imò captivetur in obsequium Christi 2. Corinth. 10, 5. Extra Spiritus illuminationem & captivacionem ratio naturalis ex διδακτοῖς suis λόγους & normis Metaphysicis & Logicis DEI sapientiam judicat stultitiam, uti diximus. Quando verò per DEI gratiam ratio in nobis Spiritus sancti illuminatione & captivacione sub obsequium Christi subigitur, tum demum Mysteriorum Veritatem adsequi fide possumus, eis τὸ πνευματικόν doctrine seu sapientiae divinae traditi Roman. 6, 17. Sic demum possumus πνευματικῶν ἀποκρυφῶν ἀποκαλύψαι 1. Corinth. 2, 13. Nempe quando ratio per regenerationem Spiritus à διδακτοῖς humanae sapientiae λόγους avulsa & supra eosdem evectā, Mystera salutis humanae destinata in διδακτοῖς Spiritus sancti λόγους fide intuetur, atq; hac ratione illuminatur & captivatur in obsequium Christi. Alia haec est σύγκρισις, quam quae adhibita nuda rationis humanae luce & norma Mysticā Veritatem ad rerum naturalium naturalem conditionem & ordinem revocat indeq; aestimat.

45. Ex hoc ergo scripturae fundamento detecto & monstrato excerpantur & notentur sequentes nervi. Scilicet ea est Mystica rerum

rerum mysticarum veritas, (1.) quæ non nisi per illuminationem & captivationem rationis humana intelligi & percipi potest: (2.) quæ ad naturalem rationis lucem & capacitatem non quadrat, (3.) quæ ex naturalis rationis luce & capacitate repudiatur & pro stultitia habetur. (4.) quæ ad διδασκῆς αὐθροπίας σφιδας λόγος, ad normam Veritatis, rationi cognitam & ex rerum naturalium naturali constitutione & dispositione extractam non congruit, sed contra (5.) in peculiaribus διδασκῆς Spiritus sancti λόγους & modis consistit, adeoque (6.) in mera DEI ἑδοκία, πρὸς θεοῖ, ἐν λόγῳ τῆς χάριτος ἔχει τῆς ἐν ἡμῶν ἐν χειρῶν, (hi sunt διδασκῆς Spiritus sancti λόγοι) fundatur. Indeque (7.) τοῖς ἀρχαῖς αἰῶνος τὰς incognita plane fuit, utpotè quibus in rerum omnium scientia venanda occupatissimis, naturalibus rationis vīs undiquaque accuratissime insistentibus, nullus unquam gustus vel minimus, nullum intelligentie principium vel minimum unquam occurrerit. Talis inquam est Mystica rerum mysticarum veritas; quam proinde toto oportet genere diversam esse à naturali rerum naturalium veritate.

46. In Logica distinguere solent prædicationem essentialem ab accidentali, propterea quod utrobique diversus est terminorum nexus, qui distinctum veritatis modum importat. Si dico: Homo est animal: Hic Genus & Species essentiali nexu coherent. Contra si dico: Homo est doctus: hic subjectum & adjunctum accidentali nexu junguntur. Quæro autem sit utrobique eadem veritas, seu idem veritatis modus? Nego. In priorè prædicatione est modus essentialis, in posteriore accidentalis. Si ergo Veritatem essentialem ab accidentali distinguere satagunt Logici, ne confundantur, sed distincte cognoscantur: quæro, an non vel eandem vel majorem distinguendi necessitatem afferat rerum mysticariæ mystica Veritas, ad naturalem rerum naturalium Veritatem comparata? Omnino sic status. Quia majus hic periculum, quam illic ex erratione emergit.

47. Si in Schola Logica pueri prædicationem accidentalem ad
 essentialem

essentialem, vel contra essentialem ad accidentalem normam reducere
& applicare velint, corriguntur & castigantur. Quare? Quia hac
ratione vim quasi inferunt rerum Veritati, quae in rationis luce &
notitia pervertitur. Quid ergo? Si Mysticam Veritatem ad natura-
lis Veritatis λόγος & modos reducere, & mentis notione conforma-
re, imò confundere velis? Hic sanè in Mystero salutis erratio valde
periculosa, & accurata correctione castigationeque emendanda fuerit,
ne patefacta salutis via pervertatur.

48. Logici sanè propterea distinguunt essentialem praedicationem
& Veritatem ab accidentali, quod alia hic, alia illic rerum in subiecto
& praedictio positarum erga se invicem habitudo & constitutio de-
prehendatur. Ergo si Mysticarum rerum ad Oeconomiam salutis in
Christo factam spectantium, alia datur constitutio & dispositio, quā
quae est rerum naturalium in ordinario naturae Cursu & Statu, ex-
inde omni jure praedictio & Veritas Mystica à praedictione & Veri-
tate rerum naturalium naturali distinguitur, ne periculosa confusio
introducatur, sed qualibet praedictio & Veritas ex suo proprio esti-
metur fundamento.

49. Objectum mensurat intellectum, (ut Philosophi monent) hoc
est, Res qualibet objecta notione mentis ita est pingenda, ut in seipsa
est extra mentem in natura. Cur non idem juris arrogandum fuerit
Mysterijs ad salutem humanam destinatis ex peculiari DEI Oecono-
mia? Quid opus est reductionibus tortuosis & analogijs periculosiss?
Non quidem hac monitio de Objecto intellectum mensurante eò ten-
dit, quod censeam omnia in Mysterijs rimanda & mentis notione com-
prehendenda & exhaurienda esse, sed quod mysterium non debeat ad
rationis capacitatem distorqueri, neque inde disturbari Mystica ejusdem
constitutio; quin imò uti in patefactione divina proponitur, ita debet
per Spiritus illuminationem & captivationem rationis mediante fide
acceptari & in timore DEI perpendi, ut ita non ratio sibi patefactum
verbum, & in Verbo patefacto mysterium, sed patefactum Verbum &
Mysterium sibi conformet rationem. C 50. Hac

30. Haec intissima est Veritatis in Mysterio patefacta cognitio, ad quam Christus nos deducit Joh. 8. v. 31. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & Veritas vos in libertatem vindicabit Joh. 8. v. 38. Sermonem DEI non habetis in vobis manentem. Joh. 8. v. 37. Sermo meus ἔχωρεῖ ἐν ὑμῖν. Huc pertinet dictum Petri, quo conqueritur, quod indocti parumque stabiles detorqueant scripturas in suam ipsorum perniciem, 2. Petr. 3. v. 16. Id Paulus vocat ἐπεροδιδασκαλεῖν. 1. Tim. 1. v. 3. Nempe si quis non accedit seu accommodat se sanis verbis Domini nostri JESU CHRISTI & doctrinae, quae secundum pietatem est 1. Timoth. 6. v. 3. Contra Apostolus inculcat & exigit ὑποταγήν ὑγιαίνοντων λόγων, qui in fide & dilectione Christi audiri debent 1. Tim. 1. v. 13. Hinc certus describitur modus tum docendi, tum discendi Mystrium verbi, οὗ ἡ λαλῆ ἀπέπειθη ὑγιαίνουσα διδασκαλία Tit. 2. v. 1. εἰς λαλεῖ, ὡς λόγια θεῶν 1. Petr. 4. v. 11. Sic reprehenditur ματαίολογία eorum, qui non intelligunt, quae loquuntur, nec ea, de quibus asseverant 1. Tim. 1. v. 7. Sic Paulus dicit, κήρυγμα suum non fuisse attemperatum πειθοῖς αἰθερωμένης σοφίας λόγοις 1. Corinth. 2. v. 4. Sic de auditoribus itidem monetur, quod predicationem Verbi, non ut hominum, sed ut DEI sermonem accipere debeant, ut ἐνέργεια DEI fidem operantis locum inveniat 1. Thess. 2. v. 13.

31. Ex monstrato fundamento Lutherus B. M. gravissimas suas monitiones exstruxit, quas hinc inde in Tomis ipsius dispersas deprehendimus. In explicatione Psal. 45. Tom. 3. Lat. Jen. fol. 490. b. Hoc primum scitote, Articulos fidei vere esse sententias, de talibus, quae oculus non vidit, auris non audivit, nec descenderunt in Cor hominis, & per solum verbum & Spiritum sanctum docentur ac intelliguntur. Et est ea natura omnium Articulorum fidei, ut universa ratio ab ijs abhorreat, sicut in Judaeis & in Gentibus cernimus. Nam sine Spiritu sancto non possunt intelligi. Sunt enim abyssi sapientiae divinae,

divinae, in quibus ratio plane submergitur & occiditur. Qui igitur vult esse Christianus, ille eruat oculos rationi suae, & tantum audiat, quid DEUS dicat, & praebeat se captivum DEO, ac dicat: Quanquam ista, quae audio, sunt mihi incomprehensibilia, tamen quia DEUS dixit & conformavit potentibus Miraculis, ideo credo &c. Paulo post fol. 491. a. Non potest ratio contra haec (quae in Mystero Christi proponuntur) quicquam afferre, nisi Philosophica, & rationalia, vel plane fanatica. Voco autem Philosophica, quae cuiq; facile est intelligere aut fingere &c. hoc est, quae ad normam ex naturae Constitutione extructam & rationis capacitati adequatam congruunt.

52. Sic in Comment. ad Galatas Tom. 4. Latin. fol. 74. b. Quid loquitur DEUS? Impossibilia, mendacia, stulta, infirma, absurda, abominanda, haeretica & diabolica, si rationem consulas. Paulo post fol. 75. a. Sic semper DEUS, cum objicit articulos fidei, simpliciter impossibilia & absurda, si iudicium rationis sequi voles, objicit. Item: Cum DEUS loquitur, ratio iudicat ejus verbum haeresin & Diaboli Verbum. Apparet enim ei esse absurdum &c. Contra Fides rationem mactat & occidit illam Bestiam, quam totus Mundus & omnes Creaturae occidere non possunt. Item paulo post: Ratio contemnit DEUM, negat ejus Sapientiam, Justitiam, Virtutem, Veritatem, Misericordiam, Majestatem & Divinitatem. Paulo post: Quare primum omnium hoc agendum est, ut per fidem occidamus incredulitatem, contemptum, odium DEI, murmurationem contra Judicium, iram, omnia Verba & facta DEI, tum occidimus rationem. Neq; enim alia re potest occidi, quam per Fidem, quae credens DEO, tribuit illi gloriam, non obstante, quod loquatur, quae rationi stulta, absurda & impossibilia videntur, neque obstante, quod se depingat DEUS aliter, quam ratio vel iudicare vel capere possit. &c.

53. Sic Tom. 1. fol. 543. a. de Justificatione agens, Hoc (ait) My-
sterium est Dei, Sanctos suos mirificantis, quod non solum est impijs
impossibile intellectu sed etiam ipsis pijs mirabile & difficile credum.

54. Postea fol. 567. in disputatione de propositione (Verbum Caro
factum est) Anno 1539. habita, In Theologia (ait) Verum est, Ver-
bum esse carnem factum: In Philosophia simpliciter impossibile & ab-
surdum. Nec minus, imò magis disparata est prædicatio, DEUS est
Homo: quam si dicas, Homo est Asinus. Sorbona mater errorum pes-
sime definiit, idem esse verum in Philosophia & Theologia, impieque
damnavit eos, qui contrarium disputaverunt. Nam hac sententia,
abominabili docuit captivare articulos fidei sub iudicium rationis
humane. Paulo post: Impingit quidem Theologia in Philosophiæ re-
gulas, sed ipsa vicissim magis in Theologiæ regulas. Tandem post ad-
hibitam illustrationem ex Philosophia petitam, fol. 568. concludit:
Rectius ergo fecerimus, si Dialectica seu Philosophia in sua sphaera re-
lictis, discamus loqui novis linguis in Regno fidei extra omnem spha-
ram. Alioqui futurum est, ut vinum novum in utres veteres mit-
tamus & utrumque perdamus, ut Sorbona fecit. Affectus fidei exercen-
dus est in articulis Fidei, non intellectus Philosophiæ &c.

55. Sic in disputatione de duabus naturis in Christo unitis Tom. 1.
Lat. 568. b. Certum est (inquit) omnia vocabula in Christo novam
significationem accipere in eadem re significata. Nam Creatura ve-
teris lingue usu, & in alijs rebus significat rem à Divinitate separa-
tam infinitis modis. Novæ lingue usu significat rem cum Divinitate
inseparabiliter in eandem personam, ineffabilibus modis conjunctam.
Ita necesse est, vocabula, homo, humanitas, passus &c. & omnia de
Christo dicta, nova esse vocabula, non quod novam rem, sed no-
ve & aliter significant, nisi id quoque novam rem dicere velis &c. Sic
Lutherus διδακτῆς αὐθροπῆς ὁδίας λόγους contradistinguit à
διδακτῆς πνευματικῆς λόγους ex superius monstrato Paulino funda-
mento,

mento, cuius generis monitiones plures in Lutheri Scriptis hinc inde
observare licet.

Nos hic pedem figimus, Addendo ἰωνυμο
Logicum.

1. Aristotelici statuunt Logicam non nisi Secundas considerare
notiones seu intentiones, easque dicunt animi nostri figmenta, non nisi
in mente existentia, quae pro arbitratu nostro esse vel non esse possent,
ut Zabarella & alij contendunt. Hinc Rameam reprehendunt Logi-
cam, quae realia misceat extra mentem in natura existentia, utpote
causam, effectum &c.

2. Nos vero notiones predicabilium & argumentorum Logicas
non putamus esse pura animi figmenta, quibus extra mentem nihil
reale respondeat. Si namque id verum, nullam possent Veritatis in na-
tura obvia normam dare, quod ut luculentius conspiciatur, hoc addo
argumentum.

Si nihil est in rebus extra mentem, quod argumentorum notio-
nibus respondeat, non possunt distinctis rebus distinctè applicari, eas-
demque distinguere.

At distinctis rebus distinctè applicantur, easdemque distinguunt.

Ergo aliquid reale in rebus extra mentem respondet.

Dicas; Homo est animal; & hanc propositionem retexas:
Homo est Species: Animal est Genus.

Quero, cur non aequè mihi dicere liceat? Homo est Genus:
Animal est Species. Quam hic reddes rationem? Scilicet in ani-
mali generis, in homine speciei fundamentum reale deprehendi &c.
Hinc Philippus rectè adserit, predicabilia naturae ordinem notare,
& cognationes differentiasque rerum ostendere. At naturae ordo
& rerum cognationes atque differentiae sunt quippiam reale, Logicis
notionibus substratum & correspondens.

3. An verò causa effectum &c. ad Logicam proprie pertineat; alia est Quaestio. Rationes non negligendas habet, qui ad Metaphysicam transfert, & nudum causa argumentum Logica relinquit, ut Metonymia causa, non ipsa causa, Rhetorica arrogatur.

Grammaticum.

1. In Latino Alphabeto duae consonae desiderantur, nempe J & V.

2. In Graeco Alphabeto aspiratae & duplices consonae sunt Compendium scripturae, θ pro τ, φ pro π, χ pro κ uti ρ solet scribi: Sic ψ pro πσ, ζ pro τσ (κνις pro στ) ξ pro γσ vel κσ.

3. Usus hujus observationis non est nullus. De aspiratis testatur apostrophus: De duplicibus testatur temporum formatio in Verbis.

4. Ex. gr. Futurum primum αἰτιῦν formatur à presenti hac ratione. Praesens activum desinit in ω purum vel impurum. Purum, quando ω per se syllabam absolvit, precedente vocali vel diphthongo ut ἀκῶ, φιλέω. Impurum quando ω additam quandam consonam habet, cum qua syllabam constituit, ut λέγω, κρυπῶ. Haec consona est vel liquida vel alia quaevis. Hinc futuri deductio facilis. (1.) Si consona liquida adest, λ, μ, ν, ρ, eadem in futuro manet, ψάλλω, ψαλλῶ, νέμω, νεμῶ &c. (2.) Si alia praeter liquidam adest consona, futuri Characteristica est σ, ut desinat in σω. Hoc ergo σ

1. ab extra adsumitur,

(α.) In Verbis puris, ut ἀκούω ἀκούσω, φιλέω, φιλήσω.

(β.) In impuris, ut λέγω λέγω, ξω.

Hic vero notetur, quod σ futuri

(A) Interdum Characteristicā praesentis extrudat, ut εἶδω εἶσω.

(B) Interdum sibi junctam toleret & associet, ut λέγω λέγω, ξω: κρυπῶ κρυπσω, ψω.

II. Et praesentis Characteristica deducitur σ futuri dupliciter:

(α) Adhibita syncope, Φεγῶ (ζω) ψεγῶ. (β) Adhibita praeter Syncope et Epenthese, ut κρυπῶ (ζω) κρυπσω (ξ) &c.

Hinc

Hinc formatio preteriti aetivi perfacilis. Nam preposito augmento futuri excluditur σ , si remanet. Characteristica presentis eadem aspiratur, $\tau\upsilon\pi\tau\omega$, $\tau\upsilon\pi\tau\omega$ (Ψ , ω) $\tau\upsilon\tau\omega$ (Φ , α .) Aliter si Characteristica presentis extrusa est &c.

5. Ad Hebraice linguae notitiam facilius comparandam non parvum facit collatio aliarum linguarum, quam Avenarius in suo monstrat lexico. Quod si quae difficultas, in hebraicarum conjugationum effusa varietate occurrere videatur, monstrato solido fundamento facile tolli potest: Dividuntur literae (1.) in gutturales & orales, (2.) distincte nominantur tres literae radicales in Verbis, prima, secunda, tertia. (3.) Distinguantur formale & materiale Conjugationum. Formale consistit in quatuor conjugationum duarum levium, duarum gravium, distinctione, & temporum personarumque deductione: Materiale est verbum ex suis literis radicalibus aestimatum: Hoc ergo inter conjugandum I. tres literas radicales invariatas retinet, Ubi punctatio. (a) analogae, quando literae sunt orales, ut in Verbo Pakad. (b) Anomala, quando literae sunt gutturales, & quidem vel prima, vel secunda, vel tertia radicalis; Hic enim punctandi ratio varijs modis à Verbo Pakad declinat, ut in paradigmate Helwici patet. II. Verbum inter conjugandum ex radicalibus literis aliquam deperdit & amittit, & quidem (a) Unam, utpote primam, Jod, Nun, Mediam tum innominatam, nempe quolibet reduplicatam: tum nominatim Vau & Jod. Ultimam, ex gutturalibus He. (b) Vel binas, ut primam Nun, & ultimam He, primam Jod, ultimam He &c. Quod de discrimine defectivorum & quiescentium moneri solet, uno atque altero canone facile inculcari, & usu lectionis confirmari potest, ut facile omnis difficultas evanescat.

6. Premissa linguae Hebraicae cognitione facilis est transitus ad Dialectum Chaldaicam, dummodo (1.) diversa dictionum flexibilium declinatio & conjugatio attendatur, (2.) literarum in ipsa radice transmutatio observetur, Barzel Hebr. Parzel Chaldaice ferrum significat. Sic Jaaz Hebr. Jaat Chaldaice significat, consuluit.

7. In Syra

7. In Syra lingua peculiarem monitionem Grammatici inculcant de Juh, Vau, & Nun in suffixis & verborum terminationibus, quod sint otiosa & non legantur, unde etiam punctum vocale non habent adscriptum. Inde hoc factum puto, quod in celeri sermonis cursu ultima syllaba absorbeantur, ut audiri nequeant, qua adhibita lenta & distincta pronunciatione facile audiri possent? Quemadmodum in vernaculis linguis id observamus, quod qui ex acquisito habitu celeriter loquuntur hinc inde occultent syllabas, ut non distinctè audiantur: alia ratio in ijs, qui tarde & distinctè loquuntur.

8. Idem iudicio de Elif unionis in Arabica lingua, quod plane ociosum habetur, sub signo Wesla, ut omisso suo puncto cum precedenti dictionis ultima vocali uniat. Finem hic facio.

Jehovah dirigat studia nostra ad sui nominis
gloriam & Ecclesie utilitatem!

AMEN.

Erratum. Thef. 20. dissentanea negamus lege negando.



1017

10

G Y
M

Ex Officin

II

am 7

